



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

22. Damianvs Medicus in dubia causa ieiunij dispensare non potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

XXII. *Damianus Medicus in Catholica quâdam Ciuitate circa ieiunium vernum ait, in dubia causa se dispensare, & vniversim acquiescere affirmantibus, ieiunare se non posse absq; vltiore huius indagatione. Queritur. Rectene hoc faciat?*

Videtur rectè facere. Ita nonnulli apud Fagundez in 4. præcept. Ecclesie L. 1. c. 9. n. 2. Tum quia habent Medici non minùs quàm Parochi ex consuetudine potestatem, vt in ieiunij præcepto dispensare valeant. Tum quia in hoc casu Medici rationè artis vtique melioris sunt conditionis, quàm alij Doctores. Ergo cum isti interpretari possint, in talibus circumstantijs ieiunium non obligare, poterunt & illi in eodem dispensare.

Resp. Damianum prædicto modo dispensando & indulgendo malè facere. Ita ex communi Fagundez *loc. cit.* Ratio fundamentalis est, quia quicumque non est capax iurisdictionis spiritualis, ille non potest dispensare in ieiunio, cum actus iste procedat ex iurisdictione spirituali. Atqui Damianus Medicus non est capax iurisdictionis spiritualis, vt potè Laicus. Ergo non potest dispensare in ieiunio, sed tantùm debet declarare, illud in his circumstantijs non obligare; quod fieri non posse in causa vel dubia, vel non sat cognita.

Probat. Nemo potest alterum eximere à lege temerè seu pro libitu, cum lex sit in possessione. Ergo habere causam, & hanc cognoscere

gnoscere debet. Ista ergo causa vel est evidens, vel dubia, vel non sufficiens? si primū, potest Medicus declarare, quod ieiunium hūc & nunc non obliget: si secundum, & tertium, non potest, sed requiritur iuris relaxatio, quam facere solūm potest habens iurisdictionem, ut communiter docent Authores.

*Ad primum in contrarium* negamus, Medicos vel vnquam præscripsisse consuetudinem seu potestatem, vel præscribere eam potuisse; cum consuetudo etiam immemorialis nihil faciat, quando incapacitas est in possidente, ut notat *Glossa recepta in C. 1. de præscript. in 6. V. non extat.* qualis incapacitas est in Medico Laico respectu iurisdictionis spiritualis ad dispensandum in ieiunio. *Ad secundum* negamus consequentiam, cum melior conditio Medicorum in hoc solūm consistat, ut in hoc negotio præ alijs consulantur, & dispensans illorum potius iudicio, quàm aliorum acquiescat.

XXIII. *Dara peregrina mulier narrat Confessario suo in jubileo, maritum suum annis omnino 14. à se abesse, & alibi cum alia agere celebratis cum hac publicè nuptijs: se quidem hætenus tacuisse iudicio doctorū virorū à se consultorū, nūc autē denuo anxiam scire velle, quid porro faciat, maxime cū absque periculo mortis cohabitare marito redeunti nequeat. Queritur. Quid faciendum dicat Confessarius Dara?*

Videtur